



Per.  
Lat  
020

Moderator ephemeridis JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20., ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-utca 5., ad quem pecuniae quaeunque dirigantur. (Postatak. csekksz. 57.292.)

Prodit Budapestini decies in anno. Pretium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

## Odeum<sup>1</sup> regium Hungaricum 1884—1934.

Jam pridem in Hungaria drama melicum nondum theatro ad id ipsum aedificato colebatur, cum demum munificentia regis *Francisci Josephi I.* caput regni, Budapestinum odeo splendido locupletatum est.<sup>2</sup> Construc-  
tio aedificii in stilo Italico renascenti anno 1875. incepta decimoque tandem ad finem perducta cum famam architecti<sup>3</sup> clarissimi, *Nicolai Ybl* extendit, tum etiam Budapestino decori praecipuo est. Spatium obei inaedicatum<sup>4</sup> 5076, scaena 263 metrorum quadratorum est, longitudo<sup>5</sup> autem scaenae 44 metra retrorsum<sup>6</sup> patet. Parietes picturis pulcherrimis ornantur. In opere tectorio<sup>6</sup> laquearis<sup>7</sup> caveae,<sup>7</sup> uti imago nostra docet, Olympus abs *Carolo Lotz* depictus magna est omnibus admirationi. In odeo usque ad hunc diem plus quam 10 milia ludorum facta esse constat. Dies anniversarius quinquagesimus ab Societate Amicorum Odei audi-

toribus gubernatore, archiducibus aliisque primoribus<sup>8</sup> civitatis praesentibus ludo scenico sollempni celebratus est, cuius programma partes electas dramatum melicorum ab optimis auctoribus (Erkel, Liszt, Hubay, Dohnányi, Bartók, Kodály, etc.) compositorum continuit.

<sup>1</sup> opera   <sup>2</sup> gazdagodott   <sup>3</sup> építész   <sup>4</sup> beépített   <sup>5</sup> mélysége   <sup>6</sup> freskó   <sup>7</sup> a nézőtér mennyezete   <sup>8</sup> előkelőségek.





## LECTORIBUS MINIMIS.

Molitor<sup>1</sup> eiusque filius.

Aliquando molitor filio dixit:

— I, mi fili, ad mercatum<sup>2</sup> et eme vaccam lactarium;<sup>3</sup> sed bene circumspice pecus et cave, ne fallaris.

Abit adolescens neque ad mercatum per-  
venit, cum iam venditores<sup>4</sup> circumsistunt  
emptorem<sup>5</sup> imperitum et obtrudunt<sup>6</sup> ei vaccam  
macilentam.<sup>7</sup>

Domi pater murmurans<sup>8</sup> rursus eum ad  
mercatum mittit aliam vaccam emptum et  
severe ei praemandit,<sup>9</sup> ut consilio familiarium<sup>10</sup>  
utens recte aspiceret, quod emere vellet.

Familiares adolescentem in mercatu circum-  
ducunt et alii per invidiam, alii per imperitiam<sup>11</sup>  
ali per inconsiderantiam,<sup>12</sup> alii per studium<sup>13</sup>  
tam diu hoc illud suadent, dum tandem ille  
vaccam satis pingue,<sup>14</sup> sed vetulam<sup>15</sup> et denti-  
bus carentem domum ducit.

Tum iam precibus amicorum miser ille ver-  
bera evasit.

— Etiam tertio — inquit molitor — mitto  
te ad mercatum, sed ne meum conspectum  
venias, si etiam nunc pecuniam pro vili vacca  
sparseris.



Pictura Caroli Lotz (pag. 9.).

Adolescens tremebundus abit, circumit mer-  
catum, multis locis consistit, nulla vacca placet.  
Tam diu haesitat,<sup>16</sup> dum advesperascit.

Maestus domum redire incipit. Forte con-  
sequitur<sup>17</sup> pecoris actorem,<sup>18</sup> cui nonnullae  
pecudes superfuerant.<sup>19</sup> Paciscitur<sup>20</sup> cum ado-  
lescente, qui sine vacca domum redire timet  
et raptim pecudem valde laudatam emit.

Laetus domum properat. Sed domi dolor  
fustisque<sup>21</sup> eum manet; nam pecus empta...  
bos erat.

Val. Fehér.

<sup>1</sup> molnár <sup>2</sup> vásár <sup>3</sup> tejelő <sup>4</sup> árus <sup>5</sup> vevő <sup>6</sup> rátukmál  
<sup>7</sup> sovány <sup>8</sup> mormog <sup>9</sup> szájába rág <sup>10</sup> ismerős <sup>11</sup> járat-  
lanság <sup>12</sup> meggondolatlanság <sup>13</sup> részrehajlás <sup>14</sup> kövér  
<sup>15</sup> öreg <sup>16</sup> habozik <sup>17</sup> utólér <sup>18</sup> hajcsár <sup>19</sup> megmarad  
<sup>20</sup> alkuszik <sup>21</sup> bot.

## EX AUCTORIBUS ROMANIS

M. Aurelius Antoninus.\*

(121—180. p. Chr. n.)

M. Aurelius cognomine Philosophus natus  
est Romae anno CXXI. Adoptatus fuit in  
regnum ab Antonino imperatore, a quo Veris-  
simus propter sinceritatem est nominatus.  
(Sc. Verus fuit ei in pueritia nomen, antequam  
in regnum adoptatus esset.) A tenera aetate  
Graecis litteris ab ipso Antonino, mox optimis  
magistris (Fronto, Herodes Atticus, Iunius  
Rusticus et Apollonius) eruditus est. Ita in  
bonis<sup>1</sup> artibus<sup>1</sup> iuris prudentiāque nec non  
philosophiā tantos fructus tulit, ut non modo  
aequales suos, sed etiam maiores natu omni

virtutum genere superaret. Amictus<sup>2</sup> etiam  
philosophorum pallio<sup>2</sup> vitam rectam atque  
honestam eorum sequebatur et ut alia si-  
lentio omittamus, valetudini parum parcens  
ne toro quidem cubuisse aiunt nisi humili,  
donec valetudo infirma eum prorsus super-  
rasset. Ante omnia temperantiam et conti-  
nentiam amavit; quod quidem difficile tunc  
erat: nimio enim impetu<sup>3</sup> id temporis ad

<sup>1</sup> művészletek <sup>2</sup> köpenyét viselte s <sup>3</sup> hajlamuk  
sodorta őket.


\* Iuventus luget obitum viri doctis-  
simi, Sebastiani Módry, qui mense prea-  
terito de vita decessit relicto nobis hoc  
opusculo.

libidines et epulas Romani iuvenes — inter illos in primis etiam Lucius Verus, frater eius — ferebantur.<sup>3</sup> At M. Aurelius Stoicorum vitae rationem<sup>4</sup> secutus summam modestiae atque continentiae famam est adeptus. Quid mirum? In cunctis partibus vitae continentissimum fuisse constat ac sine suspicione ullius vitii.

M. Aurelio sumnum principatum tenente bellum inter Romanos et Marcomannos Quadosque exortum est. Terrae motus et pestilentia eodem tempore insecura est: nulla tamen ab armis quies dabatur. Memorant bello Marcomannico (a. 174.) totum Romanum exercitum ab hostibus circumventum ac Romanos propter penuriam aquae summis conflictatos<sup>5</sup> esse malis. Insperate tempestas tonitrua et fulgura secum ferens exortitur. Milites aquam in galeis colligunt. Seque ea reficiunt et hostes formidolosos perdunt. Quae res eo tempore valde insignis et mirifica apparebat adeo, ut prodigi loco<sup>6</sup> haberetur.<sup>6</sup> Imperator ipse auxilium inopinatum ad Iovem Pluvium auctorem praetulit, Tertullianus vero Deum Christianorum, qui precibus commotus militum Christianorum exercitum periculo eripuit. Tertulliano auctore legio ea, in qua Christiani pugnabant, legio fulminatrix (fulminata) appellata est. Ceterum huius rei omnes rerum scriptores mentionem faciunt. Romae in columna Antonini cerni possunt milites fessi aquam pluviam bibentes. Ex his rebus gestis virum eum esse virtutis divinae vulgo creditum est.

Bello Marcomannico finito rebus Orientis operam dabat. Cassium Syriae praefecit, ut in legionibus disciplinam severe regeret. Cæsonius Vitalianus enim legibus disciplinae militaris non convenienter se gerentes invenerat milites et hac de re imperatorem certiore fecit.

Tunc conclamatum est ab eo: «Moribus<sup>7</sup> antiquis res stat<sup>7</sup> Romana virisque». Nimirum hic versus antiquis disciplinam militarem revera fundamentum esse solidissimum omnis imperii testatur. Mox auditā rebellione Cassii



Statua equestris M. Aurelii ex aere facta (Capitolium).

imperio stabilito crudelitate abstinuit coniuratisque pepercit. Gavisus est, quod rebellio tantummodo eos caligine mersit, qui in primo tumultu periere. Pari popularitate damnatos restituit; omnium criminum, si quae residua ex priore tempore manebant, gratiam<sup>8</sup> fecit.<sup>8</sup> Magistratibus liberam iuris dictionem concessit. Edicti<sup>9</sup> perpetui<sup>9</sup> vis non solum in Italia, sed provinciis quoque valuit edicto provinciali edito. Senatu nunquam discessit, donec consul his verbis: «Nihil vos moramur, patres conscripti», signum abeundi dedisset.

Summo ingenio praeditum virum temporum angustiae atque iniquitates coegerunt, ut in portum philosophiae configureret et ad exemplum philosophorum se conformaret. Scripta quoque philosophica eius supersunt, in quibus de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus meditatur. Cum lingua Graeca Latinā locupletior uberiorque esset, scripsit Graeca: τὰ σις ἑαυτόν, id est sententias ad se ipsum scripta (XII. l.), ex quibus aliquid sermone Latino interpretamur lectoribus gratum facturi nostris.

<sup>4</sup> elv <sup>5</sup> sujt <sup>6</sup> olybá vették, mint <sup>7</sup> erkölcs a talpköve <sup>8</sup> megkegyelmez <sup>9</sup> állandó érvényű rendelet.

I. Meminisse noli et evanescit querela, quod multa tibi iniuste fuerint acta. Quodsi malefactorum ideam deles, ipsa quoque mālfacta delentur. (L. IV. 7.) — II. Perserutare hominum naturam et vide, quid sapientes evitent, cuiusve rei cupiditate vel studio teneantur. (L. IV. 38.) — III. Quam ridiculi sunt homines! Aequalibus suis laudem denegant, ipsi autem magni aestimant, si a posteritate laudantur. Ergo posteritatis est<sup>10</sup> praedicare, quod nec noscere, nec videre poterat. Quae res eius modi est, quasi aliquis maerere velit, quod a praedecessoribus<sup>11</sup> suis nullis celerabatur laudibus. (L. VI. 18.) — IV. Ne cogitaveris id quod aegre tibi contingat, impossibile esse. Potius meditare, quod alii assequi possunt, etiam a te olim attingi posse. (L. VI. 19.) — V. Rebus humanis irasci minime esset sapientis: iram nostram mundus nec<sup>12</sup> compertam<sup>12</sup> habet.<sup>12</sup> (L. VII. 38.) — VI. Tempus actum mutationesque regnum magnorum meditare. Ex his nempe de rebus futuris coniicere possis. Ideo nihil rēfert<sup>13</sup> per spatium quadraginta vel decem millia annorum te vitam humanam inquirere. Quidnam novi videres? (L. VII. 49.) — VII. Etiam impios cave tractes, sicuti alios illi tractare solent (L. VII. 65.)


Testibus Annalibus Sinensibus<sup>14</sup> imperator Romanus nomine «Antun» (Antoninus) legatos miserat ad principes Sinensium, ut negotium<sup>15</sup> cum remotissimis Orientis incolis contraheret<sup>15</sup>

anno CLXVI. Errant igitur quidam scriptores rerum, qui affirmant Romanos ne minimam quidem conjecturam<sup>16</sup> de imperio Sinensi habuisse.

Custos ultimus ac maximus Romanorum traditionum vitam in castris prope Vindobonam depositus sexagesimum vitae annum agens.

*Sebastianus A. Módry.*

<sup>10</sup> feladata    <sup>11</sup> elődök    <sup>12</sup> tudomása sincs    <sup>13</sup> fontossággal bír    <sup>14</sup> kínai    <sup>15</sup> kerestkedelmi kapcsolatot létesít <sup>16</sup> sejtelem.



Cum hebdomas laboris nationalis expositio que pomaria<sup>1</sup> Budapestini inauguraretur,<sup>2</sup> tota civitas tributum<sup>3</sup> amoris grato animo solvit<sup>3</sup> conservatori suo, gubernatori *Nicolao e nobilibus Horthy*, qui ante 15 annos Hungariam abs communis oppressam atque debilitatam,<sup>4</sup> mox vero a Valachis obsessam resuscitavit. Gubernator monuit dedecori<sup>5</sup> nobis fore, si princeps *Franciscus Rákóczi* anno in sequenti 1935., ducentis annis post obitum in sede regni nondum statuam meritis dignam haberet, itaque hortatus est omnes, ut pro se quisque daret, quantum pecuniae posset ad monumentum in platea<sup>6</sup> Ludovici Kossuth extruendum. Summa pecuniae, quā opus est, 150 milia pengő non superat.

Effectibus infelibus pacis iniustae circum Parisios compositae tota Europa perpetuis convulsionibus<sup>7</sup> laborat.<sup>7</sup> Novissime Massiliae **Alexander, rex Jugoslaviae** interfectus est ab uno ex coniuratis Macedonicis. Negligentiā custodum securitatis<sup>8</sup> publicae<sup>8</sup> evenit, ut terrorista perditus in gradum automobilis ascendere et regi itemque comiti eius, ministro




Alexander, rex Jugoslaviae.

<sup>1</sup> a gyümölcskiállítás    <sup>2</sup> megnyílt    <sup>3</sup> adóját lerója    <sup>4</sup> megnyomorít    <sup>5</sup> szégyen    <sup>6</sup> tér    <sup>7</sup> meg rázkódtatásokat sínyle    <sup>8</sup> rendőrség.

rerum externarum Francogalliae, Joanni Ludovico Barthou, inimico revisionis, revolverio automato 20 glandes<sup>9</sup> mittenti, priusquam impediti posset, momento temporis tot et talia vulnera inferret, ut ambo brevi morerentur. Quamquam minoritas Hungarica etiam in Jugoslavia opprimitur, tamen nos quidem Hungari facinora tam infamia omnino condemnamus, itaque die, quo rex sepultus est, et vexilla<sup>10</sup> atra<sup>10</sup> in aedificiis publicis scholisque proposita sunt, et gubernator noster multique alii viri eminentissimi missae funebri regis aderant. In imagine nostra rex Alexander comitante rege Bulgarorum Boris in statione Sophiae centuriam more militari salutationem facientem praeterit, ubi melius quam Massiliae custodiebatur.

Raymondus Poincaré, princeps<sup>11</sup> curatorum<sup>11</sup> reipublicae Francogallicae pristinus fato



tristi regis Alexandri adeo percusus est, ut paucis diebus post 74 annos natus extremum<sup>12</sup> vitae<sup>12</sup> spiritum<sup>12</sup> ederet.<sup>12</sup> Poincaré non solum consilio et oratione plurimum in patria sua valuit, sed etiam scriptor non mediocris habebatur. Cum anno 1913. praeses reipublicae crearetur, Jaurès,

dux factionis socialistarum adversarius belli, exclamavit: «Poincaré bellum significat!» Dolendum est, quod Jaurès non erravit. Poincaré enim foedere militari cum Russis Britannisque facta, cum Francisco Ferdinando interfecto etiam Jaurès a nationalistis de medio<sup>13</sup> tolleretur<sup>13</sup> ita, ut iam nemo bellum dissuadere<sup>14</sup> auderet: brevi effecit, ut res ad manum veniret.<sup>15</sup> Cuius cum finis factus est, quia Poincaré victis, ergo Hungaris quoque iratus erat, patiendum est nobis illud triste «Vae victis!» Anno 1929., cum in senatu orationem fulminantem haberet atque in suggestu<sup>16</sup> oratorio<sup>16</sup> concideret, iussu medicorum a republica se removit et perpetuo aegrotabat, donec nunc fato concessit.<sup>17</sup>

Incendium navis transatlanticae «Morro Castle» prope litora Americana totum mundum

gravius affecit.<sup>18</sup> Incendium mediā nocte pluribus locis ortum haud restingui potuit ita, ut perturbatis omnibus nullāque disciplinā<sup>19</sup> nautarum multi vectores<sup>20</sup> in cellulis,<sup>21</sup> priusquam experrecti evadere potuissent, fumo suffocarentur<sup>22</sup> aut etiam plane concremarentur. Damnum securitatibus<sup>23</sup> contra incendium magna ex parte restituitur.

<sup>9</sup> golyó <sup>10</sup> gyászlobogó <sup>11</sup> miniszterelnök <sup>12</sup> lelkét kileheli <sup>13</sup> láb alól eltesz <sup>14</sup> ellenez <sup>15</sup> háborúra kerül a dolog <sup>16</sup> szószék <sup>17</sup> elhúnyt <sup>18</sup> feltűnést keltett <sup>19</sup> okhat. <sup>20</sup> utas <sup>21</sup> kabin <sup>22</sup> megfullad <sup>23</sup> biztosítás.



Certamen follis pede pulsandi<sup>1</sup> nuper Budapestini inter Austriacorum et Hungarorum manus delectas coram multis milibus spectatoribus positum est. Ter Hungari follem in portam Austriacorum ingesserunt, hi autem semel in portam Hungarorum. Spectatores laudibus cumulaverunt et victores et victos, qui unā, ludis peractis, ad epulas<sup>2</sup> sollemnes<sup>2</sup> convenerunt multisque propinicationibus<sup>3</sup> ac ac sermonibus amicissimis nobile certamen celebrarunt.

<sup>1</sup> futballmérkőzés <sup>2</sup> bankett <sup>3</sup> tószt, felköszöntés.

## Ioannis Michaelis Bruti

Ungaricarum Rerum libri qui exstant.

(Lib. II. p. 221—222. Monum. Hung. Hist. Scriptores XII.)

Joannes Michael Brutus natione Italus Venetiis a. 1517 e vetustissimo atque patricio genere natus est. Studiis litterarum Patavii absolutis in totius fere Europae regiis aulis plus minus temporis commoratus a. 1564 a Francisco Forgács episcopo Varadinensi in aulam Stephani Báthori tunc Transylvaniae principis accitur.<sup>1</sup> A Stephano Báthori, quem cum Poloniae rex creatus esset, Cracoviam secutus est, honestissime semper habitus ad res Hungaricas suae aetatis conscribendas adhibetur.<sup>2</sup> Mortuus est a. 1592 in Transylvania. Brutus praeter minora quae-dam opuscula Florentinas Historias et auctore Stephano Báthori Rerum Hungaricarum conscripsit

<sup>1</sup> meghívja <sup>2</sup> felhasználta.

libros XX, quorum XV—XX non conparent.<sup>3</sup> Brutus in suis Historiis exemplo<sup>4</sup> ex Livio potissimum capto proxime ad puram ac germanam<sup>5</sup> accessit Latinitatem.

<sup>3</sup> nem került meg <sup>4</sup> mintakép <sup>5</sup> tősgyökeres.

Unum<sup>1</sup> illis praecipuum<sup>1</sup> armorum studium,<sup>1</sup> quae culta<sup>2</sup> ac perpolita<sup>2</sup> curā<sup>2</sup> acerrimā<sup>2</sup> fortitudinis laudem habent, probro ac dedecori<sup>3</sup> neglecta ducuntur.<sup>3</sup> Nam qui in ceteris<sup>4</sup> delicias<sup>5</sup> contemnunt, certe magni haud faciunt, curāndis ornāndisque equis nunquam sibi<sup>6</sup> faciunt<sup>6</sup> satis,<sup>6</sup> usque<sup>7</sup> eo, ut auro saepe torquibus<sup>8</sup> ac gemmis<sup>9</sup> et lapillis<sup>10</sup> tecti conspiciantur, haud mollius<sup>11</sup> et delicatus,<sup>12</sup> quam quae apud nos magno in honore habentur. Itaque passim multos invenias, quibus pluris<sup>13</sup> stet<sup>13</sup> equus, quam domus aut fundus, cum sit eorum haud exiguis censu<sup>14</sup> quod quidem eo est admirabilius, quo regio tota et aliarum rerum omnium et equorum feracior<sup>15</sup> habetur, quos optimos gignit et ad bellicos usus atque itinerum laborem perniciitate<sup>16</sup> et viribus insignes,<sup>17</sup> quae causa est, cur ab eteris cupide expetantur. Neque<sup>18</sup> ob<sup>18</sup> id<sup>18</sup> tamen<sup>18</sup> suis<sup>19</sup> contenti minore studio e peregrino<sup>20</sup> orbe<sup>20</sup> quaerunt; petunt<sup>21</sup>, ubicunque fama<sup>22</sup> sit, e generoso pectorē,<sup>23</sup> aptiores<sup>24</sup> ad belli usum ali,<sup>24</sup> in his, quorum prima apud eos laus est, e vicinae Thraciae armentis,<sup>25</sup> quos idoneos<sup>26</sup> nacti,<sup>26</sup> quominus<sup>27</sup> potiantur,<sup>27</sup> nunquam magnitudine pretii deterrentur, atque adeo etiamsi vendendus ager aut fundus sit, unum illud vitae<sup>28</sup> subsidium<sup>28</sup> reliquum<sup>28</sup> habenti,<sup>28</sup> neque hoc illi tamen sine certa<sup>29</sup> causa militares homines, crebris excursionibus<sup>30</sup> ita cum hōste Turca proeliari assueti ut virtuti<sup>31</sup> semper, ubi bene<sup>32</sup> res gesta<sup>32</sup> sit, saepe minus<sup>33</sup> gesta ex sententia<sup>33</sup> salutem<sup>34</sup> uni equo referant<sup>34</sup> acceptam.<sup>34</sup>

Literis se minus dedunt, sed<sup>35</sup> ut<sup>35</sup> magno eos honore prosequantur, qui sive ex suis, sive ex exteris — atque<sup>36</sup> hoc quidem<sup>36</sup> ne videantur<sup>37</sup> facere<sup>38</sup> contemptione<sup>38</sup> — studiis ingenuarum<sup>39</sup> artium<sup>39</sup> excellant. Matthiae regis tempore certe, id quod testantur exterorum hominum monumenta<sup>40</sup> multa, quae illi inscripta<sup>41</sup> leguntur, nulla in toto Christiano orbe regia<sup>42</sup> frequentior doctis hominibus fuit, nullius regis nomen maiore cum gloria et apud suos et apud exteris est pervagatum.<sup>43</sup> Incensus quidem huius laudis studio bibliothecam

luculentam<sup>44</sup> in primis construxisse fertur ac citis undique e Graecia praesertim, qui magnis illecti<sup>45</sup> praemiis veterum scripta ad se afferrent, quae studio<sup>46</sup> acerimo<sup>46</sup> asservanda<sup>47</sup> in urbe regia curavit.<sup>47</sup> Quod vero Ungari minus cupidi huius laudis, quam ceteri videntur, facit,<sup>48</sup> ut alibi diximus, Turca hostis in vestigiis<sup>49</sup> haerens,<sup>49</sup> qui non patitur, quo animi<sup>50</sup> propendent,<sup>50</sup> in aliarum ingenuarum artium studiis, quae sunt pacis<sup>51</sup> atque otii,<sup>51</sup> versari, nixios<sup>52</sup> metu mali imminentis; qui<sup>53</sup> ad rei militaris gloriam et bellicas artes capessendas<sup>54</sup> aliis<sup>55</sup> neglectis omnibus, volentes nolentesque impellit.<sup>56</sup> Posse aequē viros tum subnixos<sup>57</sup> ingenio<sup>57</sup> tum studio gloriae incensos per venire, quo ex aliis nationibus multi, eorum scripta docent, qui rege<sup>58</sup> potiente<sup>58</sup> rerum<sup>58</sup> per studios<sup>59</sup> doctorum hominum et favente<sup>60</sup> ingenii in pacato et tranquillo regni statu frui securō<sup>61</sup> otio et vacuo<sup>62</sup> omni cura animo scribere potuerunt.

Se legit, praefatus atque interpretatus est:

Car. Acs.

<sup>1</sup> (t. i. : est) : egyedül e fegyvereket szeretik különösen <sup>2</sup> ha igen nagy gondossal gondozzák és ékesítik <sup>3</sup> szégyennek és gyalázatnak tartják <sup>4</sup> egyebekben <sup>5</sup> fényűzés <sup>6</sup> be nem telnek <sup>7</sup> olyannyira <sup>8</sup> nyaklánc <sup>9</sup> drágakő <sup>10</sup> gyöngy <sup>11</sup>—<sup>12</sup> nem kevésbé gyengédében becézik <sup>13</sup> többe kerül <sup>14</sup> értéke <sup>15</sup> termékény <sup>16</sup> gyorsaság, fürgeség <sup>17</sup> kivalók <sup>18</sup> mindenáltal <sup>19</sup> t. i. : <sup>20</sup> idegen ország <sup>21</sup> veszik <sup>22</sup> tudomásuk esik erről <sup>23</sup> fajta <sup>24</sup> alkalmasabba a tenyésztsére <sup>25</sup> ménes <sup>26</sup> ha megfelelőre akadnak <sup>27</sup> attól, hogy megszerezzék <sup>28</sup> ha már csak az egyetlen életfenntartó eszköz marad is meg; <sup>29</sup> habenti vendendushoz tartozik <sup>30</sup> nyomatékos <sup>31</sup> portyázás <sup>32</sup> referant-hoz tartozik <sup>33</sup> ha jól végződik a harc <sup>34</sup> nem a kívánságuk szerint <sup>35</sup> tulajdonítják megmenekülésüket <sup>36</sup> de azért <sup>37</sup> még pedig azért <sup>38</sup> azt gondolják róluk <sup>39</sup> megvetik <sup>40</sup> t. i. : a tudomány és művészet <sup>41</sup> művei <sup>42</sup> ajánlottak <sup>43</sup> királyi udvar <sup>44</sup> terjedt el <sup>45</sup> pompás <sup>46</sup> csábítva <sup>47</sup> l. <sup>48</sup> nagy gondossal <sup>49</sup> öriztette <sup>50</sup> az oka <sup>51</sup> sarkában van <sup>52</sup> hajlama vonzza <sup>53</sup> ez t. i. : Turca <sup>54</sup> felkarol, művel <sup>55</sup> t. i. : artibus <sup>56</sup> ösztönzi <sup>57</sup> tehetségük révén <sup>58</sup> királyuk halálmanak virágában <sup>59</sup> nagyon kedvelő <sup>60</sup> pártoltó <sup>61</sup> zavartalan <sup>62</sup> mentes.



### Canon.

1.                   2.

Pla-to, Ci-ce-ro, summus A-ri-s-to-te-les

3.                   4.

Ce-cl-nerunt, ce-cl-nerunt, ce-cl-nerunt, ce-cl-nerunt.



## GEOGRAPHICA.

**Vindemia<sup>1</sup> Tocaiina.** Regionum Hungariae feracium vini etiam exteris nationibus montes Tocaiini sunt notissimi. Iam lex LXXIX. anni 1655. mentionem vini vetusti Tocaiini facit, cuius singula genera (Samorodinum, protropum,<sup>2</sup> quinque labrorum,<sup>3</sup> etc.) postulata faciunt<sup>4</sup> eorum, qui negant vinum esse probandum, nisi quod placeat quattuor sensibus: naribus<sup>5</sup> odore, oculis colore, palato<sup>6</sup> sapore, auribus famā et nomine. Quare iussu praefecti viae ferratae Hungariae publicae vindemiam Tocaiinam spectandi vimunque emendi causa excursionem<sup>7</sup> facturis<sup>7</sup> separatim tractus<sup>8</sup> ci-tati<sup>8</sup> populares<sup>8</sup> praesto erant, quibus tot milia non solum civium nostrorum, sed etiam peregrinorum hebdomade<sup>9</sup> laboris<sup>9</sup> nationalis Budapestini commorantium eo vecti sunt, quot antea nunquam.

<sup>1</sup> szüret <sup>2</sup> aszú <sup>3</sup> ötputtonyos <sup>4</sup> megfelel a követelmény-nek <sup>5</sup> orr <sup>6</sup> íny <sup>7</sup> kirándulók <sup>8</sup> filléres gyors <sup>9</sup> munkahét



Montes Tocaiini (Élet 1934. okt. 7.)

— Alias cum ancoram subduxissemus,<sup>6</sup> pilentum<sup>7</sup> in ancora haerebat.

— Id est ex illo tempore — ait mater — cum pharao cum suis Mare Rubrum transibat; omnes aquis hausti sunt.<sup>8</sup> Quid deinde vidisti?

Miles, quem mendacia defecerant, ut ali- quid veri diceret, respondit:

— Etiam pisces vidi volantem.

— Sed nunc, male puer, mentiris — risit mater. — Dic hoc alicui stulto, non mihi.

Ita mater, quae mendacia crediderat, ve- rum non credidit. *Val. Fehér.*

\*



## Iocosa.

Miles aliquando multis mendaciis utebatur. — Ubi, mi fili, alibi fuisti? — interrogat mater. — Quid vidisti? vidistine hominem marinum?

— Quidni viderim, mater? Olim praefec-tus<sup>1</sup> remos inhiberi<sup>2</sup> iussit. Vix ancoram<sup>3</sup>

ieceramus, emergit homo marinus et suppli-citer rogat praefectum, ut ancoram longius traheret; illam enim ante ostium culinae<sup>4</sup> decidisse et quoniam ille dies solis<sup>5</sup> esset atque ipsi essent boni Christiani, suam uxorem in templum ire velle, tamen ob ancoram exire non posse.

— Videtis, mei filii — ait mater — etiam ibi esse bonos Christianos. Quid deinde vidisti?

<sup>1</sup> kapitány <sup>2</sup> megállít <sup>3</sup> horgony <sup>4</sup> konyha <sup>5</sup> vasár-nap <sup>6</sup> felhúz <sup>7</sup> hintó <sup>8</sup> elmerül <sup>9</sup> akol <sup>10</sup> lopni.

— Quam male hic undique olet!<sup>11</sup> Hic non ederem, etsi fame emoriendum mihi esset!

Pastores comprehendunt cingarum et dum ambo bracchia et pedes eius ad solum<sup>12</sup> vi deprimunt, tertius ut cochleari<sup>13</sup> cibum vi in ore eius aperto poneret, satagit.<sup>14</sup>

Cingarus voti compos<sup>15</sup> tandem ait:

— Sat<sup>16</sup> erit, si unus me detinebit, cibum ponant ambo!

\*

Cingarus in taberna piscatoria caput piscis ad aures suas tenet.

— Quid facis?, interrogat eum mercator.

— Cum pisce sermocinor,<sup>17</sup> respondit ille.

— Et quid ab eo interrogavisti? Quid novi in Danubio, sciscitatus sum.

— Eia, et quid piscis respondit?

— Dixit se nihil novi audire potuisse, quia iam dudum<sup>18</sup> ex undis eius evaserat.

Fel. Gondán dr.

<sup>11</sup> szag van <sup>12</sup> föld <sup>13</sup> kanál <sup>14</sup> veszödik <sup>15</sup> kívánsága teljesültével <sup>16</sup> satis <sup>17</sup> beszélgetek <sup>18</sup> már régen.



## Solutiones aenigmatum numeri I.

I. Bacchus vino superat homines. II. Dies irae dies illa Solvet saeculum cum favilla Teste David cum Sibylla.

**Aenigmata recte dissolverunt:** Georgius Molnár, Joannes Szász, Georgius Pál, Joannes Orlay, Teresia Benkő (I-II.), Marianna Renner, Elmerus Nagy, Emericus Farkas (II.)

Premium Georgio Pál sorte obvenit.

### I.

1.	e	e	l	p	p
2.	p	o	o	o	
3.	o	s	s		
4.	s	s			
5.	s				

1. Aliquid Satyris proprium.
2. Carmen.
3. Verbum perantiquum.
4. Pars capititis.
5. Consonans.

II.

2,	6,	3,	12,	5,	12,	16,	6 =	Apud Pistoiam cecidit.
14,	10,	9,	10,	19 =	Dea Romana.			
22,	18,	9,	8 =	Socius Ciceronis.				
7,	15,	7,	8 =	Avis foeda.				
17,	9,	13,	19,	13, 19 =	Inimicus C. Gracchi.			

1—22: proverbium

P. Thieben.

### III.

## Quomodo hoc fieri potuerit?

Unus avus, duo patres, tres filii, duo nepotes curru vecti sunt: tamen haud amplius, quam quattuor fuerunt.


Alexius Czuppon.

=====

## Corrigendum.

In nuntiis recentissimis (num. 1. pag. 4.) lege «nobis» pro «notio»; pag. 5. lege «summi administratoris» pro «summo administratore» et paulo post lege «(Hindenburg anno) 86. expleto» pro «(H. a.) 66. expleto».

=====



Historiam Georgii Zondy (num. 1. pag. 5.) Carolus Ács selegit, praefatus et interpretatus est. — Omnes socios, qui singula ephemeredis exempla urgent, vel quascunque pecunias mittunt, rogamus, ut administratorum adeant (Alexander Regényi, Budapest, VII., Barcsay-utca 5.), si retardationem et moram facere nolunt. Contra solutiones aenigmatum et omnia, quae ad Juventutem ipsam spectant, moderatori mittantur. — *Ad benevolos lectores*: Mittite nobis quam plurima opuscula et aenigmata, quorum ego delectum faciam. Solutiones aenigmatum quam celerrimemittantur oportet, ut nomina solventium tempore foras dari possint. Qui ex omnibus aenigmatibus tantum nonnulla solvit, haec quoque mittere, immo etiam praemium accipere potest; e nominibus enim universorum, qui solutiones ad moderatorummittunt, unum extrahitur. — Pro litteris confirmantibus, quae nobis ab amicis benevolis mittebantur, etiam hoc loco gratias actas esse volumus. — A. Friml. Gratias pro tuis blandis humanisque verbis, vir doctissime. Elaborabimus, ut a te tuique similibus semper probemur. — Val. Fehér, Aem. Láng. Ad vos, collegae honoratissimi, litteras privatas dabo. — Frid. Brisits, P. Sándor, J. Jeney, J. Guelmino, D. Kövendi. Epistolas vestras, collegae carissimi, administratori tradidi. Quae desideravistis, quantum fieri potest, exsequar. — Georgius Pál, Victor Kósa. Aenigmata et iocosa, quae misistis, tempore prodibunt. — De aliis manuscriptis proxima occasione referam.

=====

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermediolarium Catholicorum. — A. Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)